

MIRABILE NATURÆ SAL indigitavi, & pro causâ proximâ commendo; quod ubivis obvium. Miratus sæpè sum, & nunquam desinam mirari, cum de *Luce animalium* incomparabile opusculum ediderit Antesignanus Medicorum nostri sæculi *Thomas Bartholinus*, quòd ne verbo quidem mentionem fecerit istius rei, etiam tritissimæ, è qua confici Perenniluca potest. Subinde rursi etiam, cum ante unum alterumque annum legerem insignis Medici ad Medic. epistolam, *Miscellan. Acad. Natur. Curiosor. Ephemerid.* insertam; in qua observasse se commemorat mox transitorium phænomenon, cum nescio quid ageret, (hoc certè minimè, ut tunc, & illo loco abdita Naturæ scrutaretur;) nec invenire tamen causam posset: *quanquam huc & illuc, nimiam solitudine inebriatus laboretur.* Propiora definire vetat fides. *Acido-volatilis* naturæ esse, à priori & posteriori mihi constat. Sal etenim volatile est, quod solet colligi ex materia fermentescente, illa. Sal volatile est, quod virtute ignis intensissimi elicitur, & per strias lateribus adhæret vitri. Lux, odor, motus, omnia testantur de volatili natura, dum extra aquam atque vascula aperto aëri exponitur. Nec sulphur esse aut subesse, credas. Id quippe additum, experimenti causâ aliquoties, successum impedivit omnem. Discamus inde: *Sine sulphure calorem, ignem, flammam excitari posse.* Fateamur porrò: è *concentrata* (condensata dicere Latine debuissim) *luce*, motu solo *irritata*, *ignem difficillimè delebilem oriri.* Cognoscamus pariter: *vim comburentem fulminis, metalla, ligna, etiam non planè arida, in flammam protinùs agentis atque consentis, à principio hoc proficisci.* Non simpliciter ergò statuendum ampliùs: *ubi calor, ibi ignis aliquis elementaris atque actualis.* Itemque: *ubi ignis, ubi sulphur.* Quin ita potius: *ubi calor, ibi acidum: ubi flamma, ibi sal volatile.* Quàm in rem plura attulit exempla & momenta rationum Chymic⁹ laudatus noster cap. 1. de Princip. Chym. & salib. acid.

§.X. Actuosissimæ ac maximè spirituosæ operationis esse, *αυτοψία* docet. Natura lucis naturalis omnis, quin & luminis à luce geniti & diffusi indoles id habet proprium, ut efficacissimè celerimeque actiones debitas expediat, si non impediatur ab opa-